



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 29. Concilium Senonense

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

ta Regis mandata perferebat, eo venire <sup>Sæcul. XV.</sup>  
 statuit; ast vix urbem ingressus, mox <sup>A. C. 1485.</sup>  
 quæsito venationis prætextu, ad Ebral-  
 di fontem, cui Asceterio ipsius Soror e- <sup>Fontevræus</sup>  
 rat præposita, inde vero in Britanniam  
 secessit. Demum in omnium ore ac ser-  
 mone erat, firmatum esse foedus Britan-  
 niam inter & Aureliæ Ducem, Castri  
 Briantii Principissam, & Rivennæ Mare-  
 scallum, hisque sua etiam studia devo-  
 visse dicebantur Dunensis & Engolis-  
 mensis Comites, Lotharingæ Dux, Al-  
 bretus, & Maximilianus Austriacus. Ob-  
 tendebant illi, hoc foedus haud alio i-  
 stum esse consilio, quam ut contra præ-  
 tensa Caroli VIII. jura Britanniae Duca-  
 tum duabus illis Principibus, quas Dux  
 suas hæredes nominaverat, intactum ser-  
 varent. Re comperta Carolus Rex quan-  
 tocius Aquitanniam contendit, ut urbes  
 illas, quibus Convenensis Comes præ-  
 erat, in sua fide contineret.

§. XXIX.

*Concilium Senonense.*

Hoc anno Tristandus de Salazar Seno-  
 nensis Archiepiscopus in eadem ur-  
 be Synodum coegit, ubi decreta alterius  
 Concilii, quod Ludovicus Melodunensis  
 ejus Prædecessor ante viginti quatuor  
 annos celebraverat, confirmabantur;

S 2 præ-



Sæcul. XV.  
A.C. 1485.

Labbe Col-  
lect. Concil.  
tom. 13. pag.  
1722.

præcipue vero proponebantur quatuor articuli in hoc Concilio stabiliendi, nimirum de modo celebrandi divinum officium, de restaurandis Clericorum moribus, ac habitu, de reformatione Religiosorum ac denique de obligationibus Laicorum erga Ecclesiam; hanc ob rem ibi agebatur de celebratione festorum, de decimis solvendis, de Matrimonio, immunitatibus Ecclesiasticis necnon de aliis Ecclesiasticæ disciplinæ capitibus. Hæc statuta potissimam partem hauriebantur ex Conciliis, Basileensi, Lateranensi, & Sanctione Pragmatica, necnon ex Decretalibus, aliisque Synodis Provincialibus; nihil enim speciale decretum erat, quod non jam in aliis Conciliis statutum legebatur. In primo capitulo primi Articuli tractabatur de modo celebrandi divinum officium, necnon de tempore, quo ad percipiendas distributiones Canonici rei divinæ præsentem esse censerentur, eisque restringebat Synodus libertatem chorum pro libitu suo accedendi, aut ab eo discedendi, declarans, quod qui in matutinis ante finem Psalmi *VENITE EXULTEMUS*; & in aliis horis ante finem Psalmi primi; in Missa autem ante ultimum *KYRIË ELEISON* usque in finem divino officio non interfuerint, pro illa hora absentes viderentur, salvis aliarum Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ



quæ forte circa hæc arctiores, id est sacris Sæcul. XV.  
 Canonibus magis consonæ, existant. Ex A. C. 1485.  
 horum statutorum mitigatione constat,  
 quod Synodus, cum ejusmodi decreto-  
 rum usus parum invaluerit, nonnihil du-  
 ritiei cordis indulgere voluerit. Itidem  
 in eodem capite tertii articuli choreas &  
 ludos theatrales in Ecclesiis institui pro-  
 hibet. Tertio itidem tertii articuli capi-  
 te innovatur decretum, quo prohibetur ab  
 ipsis Religionem ingredientibus quicquam  
 pro ingressu exigi, conceditur tamen, si  
 post ipsum Religionis ingressum aliquid fue-  
 rit monasterio ex devotione oblatum, illud  
 recipi, dummodo non subsit pactum vel  
 conventio.

## §. XXX.

Propositiones a Joanne Lailliero  
 enuntiatae.

Eodem anno Joannes Laillierus sacro-  
 sanctæ Theologiæ Licentiatus in Men- *Argentre*  
 se Julio has propositiones asserere haud *Collect. ju-*  
 dubitabat. *dic. tom. I.*  
 I. Petrus non habuit a Chri- *p. 308. ann.*  
 sto potestatem supra alios Apostolos, neque *1484.*  
 Primatum. II. Omnes Hierarchisantes æ-  
 qualem potestatem acceperunt a Christo ita,  
 ut Curati sint æquales in potestate, regi-  
 mine, & in jurisdictione. III. Summus  
 Pontifex non potest remittere viatoribus to-  
 tam penam eis debitam ratione peccato-